

Latein

1. Januar 2010, 8:00 Uhr

Nuntii Latini mensis Decembris 2009

Lateinischer Monatsrückblick



Recitatrix: Hannelore Zöllner

Exitus Havniensis improsper

Nulla certo eventu conventus fastigosus, qui de calefactione orbis terrarum continenda Havniam convocatus erat, finem habuit. Declaratum est aliud nihil nisi patiendum non esse calefactionem orbis terrarum pluribus quam duobus gradibus Celsianis auctum iri. Qua de re legati centum nonaginta trium civitatum per duas septimanas in capite Daniae concilium habuerant.

Havnia – Kopenhagen – Copenhagen
conventus fastigosus – Gipfeltreffen – summit conference

Helvetii minareta fieri vetant

Helvetii suffragio minareta fieri vetuerunt. Quod plebiscitum civitatis constitutioni adiungitur. Id autem per mundum vituperatum est indignationemque muslimorum movit.

Obama militum numerum auget

Barack Obama praesidens Americanus declaravit se subsidia triginta milium militum in Afghanistaniam missurum, quae quidem iam anno bis millesimo undecimo inde reversura essent. Parlamentum autem Germaniae decrevit, ne hoc tempore quidem copiae Germanae quattuor miliorum quingentorum militum ibi versantes augerentur.

Extraneis manere licet

Extranei, quibus perpetuo in Germania versari non licet, tamen per duos annos hic manere poterunt. Id ministri ab internis negotiis et Germaniae et civitatum confoederatarum in conventu autumnali in urbe Brema praeside Ulrich Mäurer senatore Bremensi habito decreverunt.

Septimo die quiesces

In posterum tempore adventus Domini tabernas unoquoque Solis die apertas esse non iam licebit. Quod decrevit consilium summae rei publicae assentiens petitioni utriusque ecclesiae Christianae, quae egerat de temporibus, quibus tabernas patefieri ius esset; tenendum esse Solis diebus tabernas omnino esse clausas.

Administra aetate minima

Kristina Köhler ab Angela Merkel cancellaria delatum est munus administratae a familiis. Haec mulier carens marito, carens liberis est triginta duos annos nata, quo fit ut ex administris rei publicae aetate sit minima. Anno proximo nubere vult Ole Schröder sponso, qui munere rei publicae secretarii fungens ipse in rei publicae gubernatoribus numeratur.

Prima gondoliera Venetiae

Giorgia Boscolo e Castello vico Venetiae orta prima gondoliera huius urbis est. A parte meridiana pontis Rialto Giorgia homines per Canalem Grandem ab altera ripa ad alteram vehit. Per nongentos annos id solum viris licuerat.

Officium orbium volantium clausum

Indicia animalium extraterrestrum vel orbium volantium aera Britannica intransientium non iam accipientur. Ministerium enim defensionis Londiniense officium illud clausit, quod erat institutum ad talia colligenda. Cuius officialis ultimus alii magistratui attributus est.

orbis volans – fliegende Untertasse – flying saucer

Schumi revertetur

Michael Schumacher tribus annis intermissis in Formulam Unum revertetur. Schumacher, quo nemo saepius campo mundanus factus est, anno proximo pro manu societatis autocineticae Mercedes curret. Curriculum eius primum in autocineto Sagitta Argentea nominato pridie Idus Martias in civitate Bahrein fiet.

Notabilia: Conclusio inexpectata

Inexpectate in viculo Waldgirmes centum chiliometra a Rheno flumine in Hassia sito nuper equi caput aeneum magnifice sculptum e puteo quodam effossum erat, quod pars statuae imperatoris Augusti equestris fuisse videtur. Nunc autem factum etiam mirabilius detectum est: fragmenta enim eiusdem statuae non procul sub fundamentis viae stratae antiquae inventa sunt, quales Germani non faciebant. Statua Augusti ergo deleta esse videtur Romanis ea loca incolentibus.

Plura in interrete sub:

Weitere Informationen

[Nuntii Latini mensis Decembris 2009, \[5:26\] !\[\]\(339a16584d5da0f0a3ca4e9ec17bf6a1_img.jpg\)](#)

[Lateinischer Monatsrückblick Dezember 2009 !\[\]\(a870788d6ed9b8fd294b7654a8c8526b_img.jpg\)](#)

Deutsche Übersetzung

Lectoribus nostris hic novus annus sit bonus faustus, felix fortunatusque

Quelle: <http://www.radiobremen.de/nachrichten/latein/latein/nuntiilatinidecembris100.html>